



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.



1695.

1. Buddens, Johannes <sup>Franciscus</sup> ~~Franciscus~~: Principem legibus humanis sed non  
divinis solutum, sistet disputatio politica.
2. Buddens, Johannes Franciscus: De successione primogenitorum
3. Cellarius, Christophorus: Utilitatem propaedeuticam hoc est  
philologiae et philosophiae . . . publica disputatione defendet.
4. <sup>at</sup> Goetsche, Andreas: De vinculo matrimonii ob legem consanguini-  
tatis turpi vel honesto. 2 Exempl.
5. Simon, Joh. Georg: Perfidos administratores . . . placidus  
. . . examinei submittet.
6. Simon, Joh. Georg: De effectu suspensiois, devolutivo et remissivo.
7. Simon, Joh. Georg: Sacramentales . . . examinandos publice  
proponit
8. Simon, Joh. Georg: Collationem Justiniani cum H. Grotii lib. II  
Cap. II. de J. B. et P. Super dequisendo Rerum Dominio . . .  
publicae . . . disquisitioni submittit.

1695.

9<sup>a</sup> Stawinski, David: De jure principis poenas lege divina  
determinatas mitigandi vel remittendi. 2 Imp. 1695  
a 1742.

10. Stawinski, David: De jure repetendi dotem constante  
matrimonio.

11. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni... exercitatus  
Justinianea XIV. et titul. 21. 22, 23, 24, 25. lib II Inst. quae  
cum commentariis ex Grotio... publicae Disquisitionis sub-  
mittit. [Exercitatus dicitur].

12. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni... exercitatus Jus-  
tinianea V. ad tit. 25 et 26. lib I Inst. ...  
[Exercitatus dicitur].

12<sup>a</sup> Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni... exercitatus  
Justinianea I ad tit. priores lib I Inst. [Exercitatus  
dicitur].

13. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni... exercitatus  
Justinianea XX ad tit. 23, 24 et 25 lib III Inst. ...  
[Exercitatus dicitur].

14. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatio Fro-  
stiniana 26 et 55 priores tit. 6. lib. IV. Festid. [exercitatio  
deest].

15. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatio  
Frostiniana XVIII et tit. 14 et XV. lib. III. Festid. [exercitatio  
deest]

15<sup>a</sup> Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatio  
Frostiniana XXIV. et tit. 2 et 3. lib. IV. Festid. . . .  
[exercitatio deest].

16. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatio  
Frostiniana XIX et tit. 21 et 22. lib. III. Festid. . . . [exercitatio  
deest].

17. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatio  
Frostiniana XII et tit. 17, 18 et 19 lib. II. Festid. . . .  
[exercitatio deest].

18. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatio  
Frostiniana XI et tit. 13, 14, 15 et 16. lib. II. Festid. . . .  
[exercitatio deest].

19. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatus  
Justinianea XXVII ad tit. § 12 usque ad 22, tit. 6 lib. II  
Fushtat. . . . [Suscipit deest]. 25
20. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatus  
Justinianea X ad tit. 10, 11 et 12 lib. II. Fushtat. . . .  
[Suscipit deest]. 26
- 21<sup>1-6</sup> Strykius, Jo. Samuel: De confirmatione principis . . .  
2 Sept. 1695 et 1705 Jo. Brunnermanni  
Justinianea XXI ad . . .  
tit. 26 et 27 lib. III. Fushtat. . . . [Suscipit deest]. 27
23. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni exercitatus Justinianea  
IX ad tit. 7, 8, et 9. lib. II. Fushtat. [Suscipit deest]. 28
24. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatus . . .  
Justinianea VI ad tit. I lib. II. Fushtat. . . . [Suscipit deest]. 29  
deest].
- 24<sup>2</sup> Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exercitatus  
Justinianea VII ad tit. 2, 3, 4, 5 lib. II. Fushtat., quem



25. Strykius, Jo. Samuel : Jo. Brunemannus . . . exercitatio

Furtiniana II ad tit. 6. lib. II Inst. Inst., quem cum

Corollariis ex Gratiano . . . publicae disquisitionis submittit.

[Suericatus 1est.]

26. Strykius, Jo. Samuel : Jo. Brunemannus . . . exercitatio Furtinia-

na IV, ad tit. 20 usq. et 25 lib. I. Inst. . . . [Suericatus

1cest.]

27. Strykius, Jo. Samuel : De juris prudentia Pauli apostoli.

2 Sept.

27. Strykius, Jo. Samuel : De juris prudentia Pauli apostoli.

2 Sept. 1705 et 1730.

28. Strykius, Jo. Samuel : Jo. Brunemannus . . . exercitatio

Furtiniana III ad tit. 12 usq. et 20. lib. I Inst. . . .

[Suericatus 1cest.]

29. Strykius, Jo. Samuel : Jo. Brunemannus . . . exercitatio

Furtiniana XVI ad tit. 4 et. seqq. lib. III. Inst. Inst.

. . . [Suericatus 1cest.]

30. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exersitatio . . . 37

Justiniana XV ad tit. 1. 2 et 3 Inst. . . . [Exersitatio 2<sup>a</sup>]

31. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . exersitatio Inst. . . . 38

nianea XXIV ad tit. 28 et seq. Lib. III Inst. . . . [Exersitatio  
2<sup>a</sup>].

32. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . Exersitatio . . .

Justiniana XXIII ad tit. 1. Lib. IV Inst. . . . [Exersitatio  
2<sup>a</sup>].

34. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . Exersitatio . . .

Justiniana II ad tit. 9. 10. et 11. Lib. I Inst. . . .  
[Exersitatio 2<sup>a</sup>].

35. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnermanni . . . Exersitatio . . .

XIII ad tit. 20 Lib. II Inst. . . . [Exersitatio 2<sup>a</sup>].

36. Strykius, Jo. Samuel: De abolitione principis . . .

37. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunemannii . . . exorcitatio .

Turbiniana XVIII . ad tit. 16, 17, 18, 19. lib III. Fest . . .

[Exorcitatio deest]

38. Strykius, Jo. Samuel: Jo. Brunemannii . . . Exorcitatio .

Turbiniana XXV . ad tit. 4 et 5. lib. IV. Fest . . .

[Exorcitatio deest]

titio .  
rest)  
sh .  
statis  
ed .  
salis  
ed .  
latis  
S.



*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]*



*(mit Widmung)*

*Q. D. B. V.*

PRINCIPEM *B.*  
LEGIBUS HUMANIS  
SED NON DIVINIS  
SOLUTUM

*1695, 15*  
*3*

SISTET  
DISSERTATIO POLITICA

*Quam*

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

DN. FRIDERICO WILHELMO

ELECT. BRAND. HEREDE. &c. &c. &c.

PRÆSIDE

JOHANNE FRANCISCO BUDDEO

S.S. THEOL. LIC. ET PHILOS. MOR. AC CIVILIS P.P.

*h. t. FACULTATIS PHILOSOPH. DECANO,*

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI

*AD D. DECEMB. A. M. DC. XCV.*

SUBMITTIT

GEORGIUS ERNESTUS BRAND,

Peuffensis Magdeburgicus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Literis CHRISTIANI HENCKELI.

*Δ*

*no. 11.*

*18.*

*210.*



*Generosissimo Domino*  
DN. JOH. GEBHARDO  
à Bülow/

in Exercitu Serenissimi & Potentissimi  
Electoris Saxonici Capitanio  
maximè strenuo,

*Nec non*

DN. ACHATIO à Bülow/

*ut &*

DN. VOLRATHO LU-  
DOLHO à Bülow/

Hæreditariis in Schraplau/

*DOMINIS MEIS GRATIOSIS*

Leve hoc ingenii monumentum

Grati & devoti animi testandi causa

*sacrum esse jubet*


GEORG. ERNEST. BRAND,  
Phil. & SS. Theol. St.

81

012



Q. D. B. V.



**D**ersuasum multis est, in  
iis artibus scientiisque, quæ mores  
hominum formant, & quid jus fas-  
que & nefas sit, docent, nihil solidi  
esse: saltem mathematicis discipli-  
nis, qua certitudinem, qua eui-  
dentiam, eas cedere. Sed in ma-  
gno eos quidem versari errore, peritus harum rerum  
existimator, haud difficulter apprehendit. Quod ut  
euincerent viri eruditi, Geometrarum more demon-  
strare veritatem in rebus moralibus, atque velut ad ocu-  
lum ostendere, jam pridem aggressi sunt. Recte qui-  
dem & prudenter, ut mea fert opinio. Vestigia itaque  
illorum premere, & eadem ratione, de quæstione haud  
ignobili, sitne Princeps solutus legibus, aliquid comen-  
tari, mihi constitutum est.

### *Definitio I.*

Princeps, est qui summum in ciuitate imperium  
habet.

### *Scholion.*

Non unum vocis hujus esse significatum, neuti-  
quam me fugit. Namque & jam olim, tum illum, qui  
dignitate aut auctoritate primus erat, tum etiam impe-

A 2

ran-

rantem, seu majestate pollentem, designabat. Hodie, fateor, sæpe ita usurpatur, ut illi, quos penes summa rerum non est, eadem insigniantur: interim nec infrequens est, ipsos imperantes, Principes salutare. Quin nulla voce æque commode, illos, qui summo imperio in civitate Monarchica, gaudent, quam hac, designari, asseverare ausim. vid. Hugo Grotius *lib. I. de J. B. & P. c. III. §. 10.* Justus Lipsius in *Tacit. Annal. lib. I. p. 1.* Becmannus in *Notit. Dignit. Illustr. Dissertat. VIII. Cap. I.* Philippus Reinhardus Vitriarius in *Instit. Juris Publ. lib. I. Tit. XV.* Zieglerus de *Juribus Majestat. lib. I. Cap. XXXIII. §. 31.*

### *Definitio II.*

Summum Imperium, siue Majestas, est summa ubique in civitate potestas.

### *Scholion.*

Non omnibus ista definitio arridet. Fuit, qui istam jejunam diceret. Ast sine ratione. Summa enim dum dicitur, innuitur, illum, qui summo imperio gaudet, non habere se superiorem, præter solum Deum. Quin, quicquid excellens & præstans est, simul hac voce designatur. Cum vero ad omnia quæ in civitate sunt, homines scilicet, eorundemque & res, & actiones, hoc imperium suos proferat limites, hinc, quod ubique sit, additur. Ast in civitate ubique est. Subjectum enim commune, ut in scholis loqui amant, est ipsa civitas, proprium, imperans. Nec tamen hinc duplex oritur Majestas. Utique falluntur turpiter, qui id inde colligunt. Potestas vero, & regimen, & imperium, & dominium, quod imperantibus, in subditos, eorundemque fortunas, & actiones, competit, indicat. Quæ cum ita sint, non necesse est, ut  
cum-



cum Johanne Bodino Andegauenſi, *lib. I. de Republ. c. VIII.* in definitione Maieſtatis addamus, quod ſit poteſtas legibus ſoluta. Id enim probandum prius eſt, & per ſequelam legitimam inde deducendum. vid. Hermannus Conringius in *Differtat. de Maieſtate Civili §. X.*

### *Conſectarium I.*

Ergo qui a Senatus cujuſdam, aut populi arbitrio, pendet, vel cujuſ poteſtas ita eſt circumſcripta, ut ad omnia momenta, quæ ad ciuitatis adminiſtrationem pertinent, ſe non proferat, non gaudet Maieſtate, utut Regis etiam aut Imperatoris titulo ſuperbiat. Non tamen imperium ſtatim ſummum eſſe deſinit, ſi imperaturus, aut ſubditis, aut Deo aliqua promittat. vid. Hugo Grotius *lib. I. de J. B. & P. c. III. §. 16.* & Boeclerus ad *b. l.*

### *Conſectar. II.*

Nec ſine ratione, Albericus Gentilis de *Legat. lib. I. cap. II.* dubitat, an Reges, qui Romanum Pontificem in rebus ſacris ſuperiorem agnoſcunt, Maieſtate gaudeant. Certe nobiliſſima pars publicæ adminiſtrationis, ſacrorum eſt directio, qua dum deſtituuntur, qui Romano Præſuli ſubjecti ſunt, ſane eorum poteſtas, ad omnia, quæ in ciuitate ſunt, ſe non extendit. Interim Galliæ Reges huc non retulerim. Hi quippe, ſupremam Pontificis in rebus ſacris auctoritatem, hætenus admittere noluerunt. vid. Petrus de Marca de *Concord. Sacerdotii & Imperii lib. IV. c. 9. & alibi paſſim.*

### *Definitio III.*

Lex, eſt decretum, quo ſuperior ſibi ſubjectum obligat, ut ad iſtius præſcriptum ſuas actiones componat.

### Scholion.

Cicero *lib. I. de Leg.* Lex inquit, est recta ratio que jubet, ea que sunt facienda, prohibet autem, que non sunt facienda. Thomas de Aquino 1. 2. qu. 90. Lex nihil aliud est quam quedam rationis ordinatio, ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. Alii aliter legem definiunt. Plerique perperam. Certe & Tullii & Thomæ definitionem, jam pridem rejecerunt eruditi. Quid vero in nostra, quæ & Pufendorffii est, desiderari possit, non video: præsertim si quis secum expendat, quæ prolixè & accurate ab eo traduntur *lib. I. de J. N. & G. cap. VI.* & de *Off. H. & C. lib. I. c. II.*

### Definitio IV.

Superior est, qui justas rationes habet, quare imponere alteri obligationem possit, & viribus insuper pollet reluctantes cogendi.

### Scholion.

Solas vires ad hoc, ut aliquis sit superior, sufficere Thomas Hobbesius censet: de *Cive Cap. XV. §. V. p. m. 113.* Sed perperam, ut demonstravit Pufendorffius *lib. I. de J. N. & G. c. VI. §. 10.* Nec etiam causa justa, sine viribus sufficit. Etenim, qui solis viribus nititur, præterquam quod terreat & cogat, nihil efficit: qui vero justam causam habet, sed viribus destituitur, ille quidem sperare nihil aliud debet, quàm ut quicquid jusserit certatim contemnatur. Multo minus is superior statim erit, alterique imponere obligationem potest, qui aliis, qua ingenii vires, qua naturæ munera, præstat. Tum enim parum abest, quin unusquisque se dignum censeat, qui alteri imperet. Sic & illa vocis significatio, qua meliorem de-

denotat, huc non quadrat; & omnino, quoties de pœ-  
nis & legibus sermo est, procul faceffere debet. Id quod  
parum penfi habuit Hugo Grotius *lib. II. de I. B. & P.*  
*Cap. XX. §. 3.* Causæ autem, quare aliquis ab altero ob-  
sequium exigere possit, variæ omnino sunt, & multipli-  
ces. Præcipue tamen is ritè imperium in alterum ca-  
pesset, qui per consensum hanc facultatem est consecu-  
tus, aut qui ob ingentia beneficia a se in alterum pro-  
fecta, jure hoc sibi vendicat, & quæ ejusmodi aliæ sunt,  
distinctius, quantum ad nostrum institutum pertinet,  
deinceps considerandæ.

### *Definit. V.*

Inferior est, cui obligatio a superiori potest imponi.

### *Scholion.*

Ut autem imponi obligatio possit; requiritur, ut  
inferior jussum superioris intelligere, & ad ejus nutum  
suas actiones componere possit, cum primis autem ut  
superiorem agnoscat, necesse est.

### *Definitio VI.*

Obligatio, est qualitas moralis passiva, per quam  
quis præstare, aut admittere, vel pati quid, necessitate  
moralitè tenetur.

### *Scholion.*

Ita clarius quidem & plenius, non alio tamen sen-  
su, describitur, ac in Jure-Consultorum scholis describi  
solet, quod sit *vinculum morale, quo necessitate adstringi-  
mur alicujus rei soluendæ secundum nostræ civitatis jura.* Ce-  
terū passiva hæc qualitas ideo vocatur, quoniam facul-  
tas agendi, qua ceteroquin homo gaudebat, per obliga-  
tionē cōstringitur, & arctioribꝯ includitur limitibus. Ne-  
ces-

cessitas autem moralis est ipsa illa vis conscientiae, quæ dicitur, nisi legi nobis notæ obtemperemus, pœnas nos jure meritoque manere. Dicitur Paulus idem innuit, dum ἀνάγκη inquit, ὑποτάσσεσθαι διὰ τὴν συνείδησιν, *necesse est obedire imperantibus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Rom. XIII.* Unde quæ ratione coactio ab obligatione differat, intelligitur. add. Schilterus in *Manuductione Philos. Mor. ad Juris prudent. Cap. VIII. §. 43. 44. 45.*

### *Definitio VII.*

Libertas, est qualitas moralis activa, per quam agere aliquis, aut omittere quid potest, ex suo nutu & arbitrio.

### *Scholion.*

Ambiguam admodum esse vocem libertatis non me fugit. Hic vero ita accipitur prout opponitur obligationi: & denotat facultatem agendi quodlibet. Sic vero & jam pridem Stoici libertatem definivêre. Diogenes Laertius, postquam Stoicorum effatum, solum sapientem liberum, omnes malos servos esse, retulit, ex eorundem mente, addit: εἶναι γὰρ τὴν ἐλευθερίαν, ἐξουσίαν αὐτοπραγίας, *esse enim libertatem non aliud, quam potestatem agendi, quæ velis. in Zenone.* Eundem plane in modum & Cicero *Parad. V. Quid est enim libertas? potestas vivendi ut velis.* Ut vero obligationum varia sunt genera, ita & libertatis non semper unam eandemque rationem esse, necesse est. Alia videlicet obligatio est quæ a lege naturæ oritur: cui quæ opponitur libertas, ob ætiffimam legis naturalis cum natura hominum connectionem, homine plane indigna est. Quod ut innuerent tum alii, tum præcipue Stoici, illum qui ab hac obligatione-

tione immunis esse cupit, servum potius quam liberum: contra eum vere liberum dicebant, qui ad legis hujus normam, suas componit actiones. Unde recte Plutarchus: *Rationi qui parent, soli digni sunt, qui pro liberis habeantur. Solum enim hi vivunt, ut volunt, qui quid velle debeant, didicerunt. Ineruditi autem & rationis expertes incitationes atque actiones, exilem quandam ignobilemque voluntatis libertatem, multa cum poenitentia conjunctam habent.* in libr. de auditione. Plutarcho suffragatur Cicero: *quis igitur vivit ut vult, nisi qui recta sequitur?* l.c. Alia vero libertas est, quæ civili obligationi opponitur, qua utique omnes, qui in statu naturali degunt, gaudent. Ceterum hinc facile, quis legibus solutus, hoc est, liber, dici debeat, intelligitur. conf. Schilterus in *Manuduct. Philos. Mor. ad Jurisprud. Cap. III. §. 17. & seqq.*

### *Definitio II X.*

Lex diuina, est decretum Numinis, quo, aut aliquos, aut omnes homines obligat, ad aliquid faciendum aut omittendum.

### *Scholion.*

Ut lex vel necessariam, vel minus necessariam, connexionem habet cum natura hominum, ita & in naturalem vel positivam dispesci potest. At ratione Legislatoris, qui vel Deus vel homo est, haud inæpte eam in diuinam & humanam, & illam iterum in naturalem & positivam, hanc rursus in uniuersalem & particularem, partire licebit.

### *Definit. IX.*

Lex naturalis, est decretum Numinis, per rectam  
B ratio-

rationem hominibus innotescens, obligans eos ad faciendum vel omitrendum, quod cum natura hominum sociali conuenit, vel non conuenit.

### *Scholion.*

Non multum hæc nostra definitio differt a Grotiana, quæ *lib. I. de I. B. & P. c. I. §. 10.* legitur. Saltem ea, quæ in Grotii definitione reprehendi solent, jure emendauimus. conf. Kulpisii *Colleg. Grot. ad lib. I. c. I. §. 5. & 6.*

### *Definitio X.*

Lex diuina positua uniuersalis, est decretum Numinis, quod ex libero suo arbitrio ad hominum salutem & utilitatem fecit, & illis, qui totum genus humanum repræsentarunt, publicauit, obligans omnes homines ad aliquid faciendum vel omitrendum.

### *Scholion.*

Nimirum sunt quædam leges diuinæ, quæ omnium iudicio atque confessione, totum hominum genus obligant, nec tamen ex lumine rationis innotescunt, aut ex natura hominum sociali fluunt: istas vero alio quam posituarum uniuersalium nomine, non posse insigniri, palam est.

### *Definitio XI.*

Lex diuina positua particularis, est decretum Numinis, quo aliquos homines, aut certam gentem, ut illius saluti consulat prospiciatque, obligat ad aliquid faciendum vel omitrendum.

### *Scholion.*

Plerasque leges a Mose diuino viro latas, non ad omnes

omnes gentes, sed tantum Ebræos spectare, demonstrari inde potest, quia non semel diserte indicat, hasce leges ab solis Ebræis esse obseruandas. Præterea quæcunque Reipublicæ Ebrææ conditioni & gentis hujus indoli innituntur, ita ut ineptum foret, ad alias gentes eas extendere, non possunt non pro particularibus haberi.

### *Confectarium.*

Lex diuina particularis illos qui non sunt Iudæi non obligat quippe quibus non est lata.

### *Definitio XII.*

Lex humana siue ciuilis, est decretum Principis, vel personæ maiestate præditæ, quo subditos obligat ad aliquid faciendum vel omittendum, ad salutem & felicitatem ciuitatis.

### *Scholion.*

Etiam in ciuili lege definienda non omnes consentiunt. Sed nulla forte definitio æque absurda & inepta est, ac Thomæ Hobbesii, qua eam sic describit: *Lex ciuilis unicuique ciui est regula, qua Ciuitas verbo, vel scripto, vel alio quocunque voluntatis signo idoneo, ad distinctionem boni & mali, uti imperat.* in *Leuiathan. c. XXVI.* Etenim ut alia nunc taceam, haud obscure innuit, mali bonique discrimen & cognitionem a lege ciuili prouenire: unde leges naturæ plane euerti necesse est. In nostra autem, & Legislator, & ille cui leges ciuiles feruntur, & finis quoque, clare indicantur, cum hæc præcipua capita sint, quæ ciuilem, a ceteris legibus distinguunt.

## Confectarium I.

Ergo leges quæ vocantur fundamentales, si accurate rem expendas, non sunt leges. Pro diuinis nemo eas venditat. Pro ciuilibus haberi nequeunt, cum ab illo, qui summo imperio gaudet, non sint latae. Rectius itaque eas ad pacta & conuentiones, quam ad leges retuleris. conf. Zieglerus de *Jurib. Majestat. lib. I. cap. V. §. 6.* & Dominus Becmannus in *Meditat. Polit. Cap. XIII. §. 9. it. in Polit. Parallel. Cap. XIII. §. 8.*

## Confectarium II.

Constitutiones Ecclesiasticæ & Canones Conciliorum, non sunt leges, nisi vim legum a Principe, vel habente Majestatem, acceperint. Quemadmodum enim aut Patres Concilii cuiusdam, aut quicumque sancire aliquid in rebus sacris præter Principem audent, non habent facultatem, alteri, multominus Principi, obligationem imponendi, ita etiam illorum decreta nequiquam vim legum habent. Fieri equidem potest, ut reuerentiæ causa, hisce decretis nonnulli obsequantur, vel ut pacto se obligent ad actiones suas ad ea componendas, sed hæc omnia ad legem non sufficiunt. Consuetudo, licet hoc obtineat, ut multi putent non temere eandem esse violandam, & ut pluris etiam fiant decreta recepta & moribus velut comprobata, ast tamen ut legis vim induant, nondum efficit, quemadmodum sibi persuadet Petrus de Marca de *Concord. Sacerdot. & Imperii lib. II. c. XVI. n. 5.* Quamdiu ergo a Principe vim legis nondum accepit constitutio Ecclesiastica, pro lege plane haberi nequit.

Postu-



## *Postulatum I.*

Postulo, ut omnis metus superstitiosus exuatur.

Æquum hoc esse omnes intelligunt. Nihilofe-  
cius tamen, metus, & superstitio, multos in transuersum  
agunt. Nimirum, si audiat, inquit, Princeps, se legi-  
bus solutum esse, suis cupiditatibus nec finem nec mo-  
dum statuet. Æque ac si idem improbus Princeps non  
facturus esset, si vel maxime omnes Scholæ hisce voci-  
bus, Principem nec diuinis nec humanis legibus esse so-  
lutum, personarent. Sed non infrequens est in rebus ci-  
uilibus, inconsulto ejusmodi metu, abripi homines.  
Quantis clamoribus contra dominium eminens pugna-  
tum est! Sic sterni viam ad tyrannidem, aperiri Princi-  
pibus fenestram ad quiduis audendum, nemini priua-  
torum tutas securasque fore rerum suarum possessio-  
nes, doctissimi etiam viri magno strepitu docebant. In  
causam si penitus introspexeris, non aliam quam me-  
tum, suspicionem, superstitionem, deprehendes. E-  
quidem non diffiteor, omnium magnopere interest,  
ejusmodi placita in Scholis tradi, per quæ tranquillitas  
publica non turbetur, aut patriæ salus adducatur in di-  
scrimen, aut vitiis denique sceleribusque habenæ la-  
xentur. Sed tamen & istud addendum, posse improbos  
Principes ea quæ recte & præclare dicta sunt, ad suas  
detorquere cupiditates, suo sane, non docentium vitio.  
Jam vero plane ineptus esset, qui contenderet, nefas  
esse docere veritatem, cum multi, doctrina ista prauè  
intellecta, inde occasionem in libidines quasuis se effun-  
dendi, arripere possint. Tum enim omnis veritas diffi-  
mulanda aut silentio tegenda esset, cum nulla tam salu-

taris fit, quam non suis cupiditatibus attemperate possit, improbitas.

### *Postulatum II.*

Nec minus, ut ab omni adulandi studio alienus sit, necesse est, si quis rite litare veritati cupit.

Et istud æquum esse, nemo nisi qui plane iniquus in veritatem sit, diffitebitur. Interim & ad hunc scopulum multos ciuiliū rerum doctores veritatis fecisse naufragium, plurium exempla docent. Quid aliud Hobbesium, quid Machiauellum, quid Gabrielem Naudæum, aliosque doctissimos præstantissimosque viros, ut docerent diuinas etiam leges sine crimine a Principibus violari, adduxit, quam seruilis, & infamis adulatio? Ita quippe est, cuius animo semel sedit peruicax opinio & studium vel inuita veritate placendi Principi, desinit ille res vera notione discernere, & quicquid obuiam uspiam est, id omne in seruire suæ causæ existimat. Præcipue vero hoc morbo illos laborare videas, qui Romani Præsulis partes defendendas susceperunt. Nulla Principis auctoritas, nulla maiestas tam sancta est, quam non violare sacrilega impietate audeant, modo regni sui dilatare pomæria, & rerum Dominos Romano Pontifici subicere possint.

### *Postulatum III.*

Ut amoris, ita & odii omnis vacuum esse decet, qui in rebus ciuilibus non vult turpiter decipi.

Non minor enim odii quam amoris & adulationis vis est, ad caliginem mentibus nostris offundendam. Mirum ergo non est, quod tantopere Monarchomachi, infer-

infernalis genii genuina progenies, cœcutiant. Cum enim nescio quæ libertatis fallax species illis imponat, hinc odio inexpiabili in Principes exardescunt, & illorum auctoritatem firmari, aut defendi, quam ægerrime ferunt. Documento est non incelebris Auctor, qui de *Regimine Civili*, ante paucos annos in Anglia scripsit, & Monarchomachorum diros errores, ex orco reuocauit.

### *Axioma I.*

Omnis superior subdito suo & inferiori leges dare, eumque obligare potest.

### *Axioma II.*

Ut in omnes homines, ita & in Principes Deo imperium competit, adeoque ab eo ad aliquid agendum aut omittendum obligari possunt.

Nemo sanæ mentis veritatem hujus effati inficias ibit. Habet enim Deus causas justas, quare ab hominibus possit obsequium exigere, & præterea cum rerum omnium sit præpotens, nemo impune jussa ejus negliget. Ast quænam istæ causæ sint, propter quas exigere ab hominibus obsequium possit, vel quod perinde est, quo argumento imperium Numinis in homines probari possit, de eo non omnes idem sentiunt. Moses Amyraldus in *Dissertat. de Jure Dei in creaturas*, imperium Numinis in homines, a muneris & virtutis diuinæ eminentia, deriuare non dubitat. Ast perperam. Licet enim nemo tam impius forte sit, qui inficias ire audeat, Judicis & mundi Reſtoris munere eū fungi, præter Epicuri alumnos, attamen quænam ratio subsit, ut hoc munus sibi vendicet Deus, de eo adhuc dispici posset.

Præ

Præterea excellentissima virtute & perfectione summa, quæ nullo modo capi a ratione possit, Deum præditum esse, itidem nemo diffitebitur, nisi cui cum ratione insanire volupe fuerit. Ast virtutem & præstantiam quandam, utut summam & infinitis modis humana perfectione superiorem, ad imperium sufficere, non omnes statim admittent. Certe nos diserte id negauimus supra. Nec sine ratione. Etenim subditos sæpius virtute & sapientia suis imperantibus aut civibus ceteris præstare, is demum abnuet, qui id negare audet, quod experientia omnes docet. Quis vero asseret, hos ideo imperantibus ipsis aut ceteris civibus, posse imperare? Thomas itaque Hobbesius, jus Dei in homines inde accerfit, quod potentia Numinis nemo resistere possit. *Regni diuini naturalis jus*, inquit, *in Leviathan. Cap. XXXI. p. m. 167.* quo Deus illos, qui *Leges naturales violant*, affligit, non ab eo deriuatur, quod illos creauerit cum non essent: sed ab eo quod *diuina potentia resistere impossibile est*. Idem docet in *libro de Ciue Cap. XV. §. V. pag. m. 113.* In regno naturali regnandi & puniendi eos, qui *leges suas violant*, jus Deo est, a sola potentia irresistibili: & paucis interjectis: *iis igitur quarum potentia resisti non potest, & per consequens Deo omnipotenti, jus dominandi ab ipsa potentia deriuatur.* Ast enim uero, falli Hobbesium, aliosque fallere, in aprico est. Namque ut cetera taceam, si sola potentia cui resisti nequit, ad imperium sufficeret, semper robustior infirmiori iure imperare posset: & Principes, qui opibus viribusque præstant, aliis minus potentibus imponere jugum possent pro lubitu. Ceteri contra ut sibi consulerent, per insidias, per fraudes infringere potentiorum vires anniterentur, id quod profecto illis vitio verti nequi-

quiret, si sola potentia ad imperium sufficeret. Sed ineptiora adhuc sunt, & hanc sententiam funditus euertunt, quæ ipse Hobbesius docet, dum Atheos imperio Numinis subiectos esse negat, unde sequitur impune alicuilicere esse impio. Ita in eodem *Cap. XV. de Ciue §. II.* disertè autumat: *in regno igitur Dei pro subditis habemus, non corpora inanimata, neque irrationalia, licet potentie diuina subjiciantur, quia præcepta & minas Dei non intelligunt, neque etiam Atheos, quia Deum esse non credunt, neque eos qui Deum esse credentes, eum tamen inferiora hæc regere non credunt.* Eadem repetit in *Leuiathane Cap. XXXI.* Impie sane. Namque inde & istud sequeretur, Principem Atheum, nec imperio Numinis obnoxium esse, nec ullis diuinis legibus teneri, quo quid magis nefandum dici possit, non intelligo. Ridiculum vero est quod asserit, Atheum ideo imperio Numinis non esse obnoxium, quia Deum non esse credit. Si de facultate hoc capiat, aperte falsum est. Nemo enim mortalium est, qui non infinitis documentis conuincatur, Deum esse. Sin de actu intelligat, iste aut ex voluntatis malitia, aut ignorantia, oritur. Illud iterum Atheum ab imperio Numinis non liberabit. Numquid Princeps ideo imperio excidet, si subditi rebelles, eum pro superiore agnoscere nolint? Voluntas profecto subiecti non sufficit ad imperium superiori eripiendum: sin ab ignorantia, eum proficisci dicat, iterum rehero, id fieri non posse. Nimis enim luculenter omnes res, quas oculis auribusque nostris usurpamus, euincunt, Deum esse. Nec est quod Hobbesius excipiat, Atheum nunquam in imperium Numinis consensisse. Etenim tum manifesto secum pugnaret. Si enim imperium Dei in homines a

C

con-

consensu hominum oritur, ergo non a potentia cui resisti nequit, originem habet. Falsum insuper est, omne imperium oriri a consensu, cum & parentes in liberos habeant imperium, quod tamen a consensu ortum esse, asseri nequit. Relinquitur ergo, aut in Atheos etiam Numini imperium competere, aut Atheos diuinæ potentia posse resistere. Hoc quis dicere auit? Ergone miserimi homunciones, quos unico momento redigere in nihilum potest præpotens Numen, illi resistere possent? Sed mitto Hobbesium. Rectius mea opinione sentiunt, qui imperii diuini originem a magnis multisque beneficiis, quæ a Numine in homines proficiscuntur, deriuant. Hæc equidem tam varia sunt, ut omnium iniri numerus vix possit. Eminent tamen inter cetera, & creatio, & conseruatio. Quicumque enim opus aliquod produxit, nonne merito id sibi vendicat, & suum hoc est, suo dominio, suo imperio obnoxium esse [dicit? Et vero quia Deus liberam animam nobis dedit, quidni etiam certis limitibus circumscribere hanc libertatem posset? Cum vero insuper accedat, quod summum hocce Numinis beneficium singulis velut momentis iteretur, tanto magis inde elucescit, Numini fas esse, ex suo nutu & arbitrio, omnes nostras actiones dispensare. Ergo nullam video rationem, quare nobis non imponere obligationem quamcunque posset. Quod vero & fecerit hoc, adeoque imperium in homines actu sibi vendicet, ipsa hominum natura omnes edocet. Saluo esse homini non licet, nisi ad rectæ rationis præscriptum suos componat mores, hoc est societatem colat. Hoc quiuis suam indolem accuratius contemplan, intelligit. Hinc ergo ita secum rationes subducit,  
nisi

nisi Deus vellet ut socialiter viuerem, adeoque rectæ rationis præscripto obtemperarem, ejusmodi mihi non indulisset indolem atque naturam. Quicquid autem vult Deus, hoc serio vult, affatimque virium illi præsto est, legum suarum transgressores puniendi. Underurus constat, Deum non tantum per *præcepta* sed & per *minas*, ut Hobbefii vocibus utar, imperare. Hæc via imperium DEI in homines probandi, eo magis mihi placet, quod diuinorum virorum Numinisque afflatu perculsorum vestigiis, eandem signatam videam. *Quis te non timeat*, inquit Jeremias, *cap. XI. v. 7. & seqq.* *O Rex magne! cum feceris cælum & terram.* Et in sequentibus: *Dicite igitur gentibus (Deos vestros non possumus colere, quia) Dei isti vestri non fecerunt cælum & terram &c.* Hic non aliud diuini cultus fundamentum, quam creatio, diserte innuitur. Quando vero Deus ad querulas mortalium voces retundendas, quandoque ad potentiam suam prouocat, tum quidem ut plurimum illi res est cum ejusmodi hominibus, qui alias rationes non admittunt, adeoque stultitiæ & impietatis conuinci debent, quod litigare audeant cum eo, qui mox efficere possit ut immorigeros ejusmodi seruos suæ proteruiæ pœniteat. Quæ itaque Hobbefius congerit diuinarum literarum effata, ejus sententiæ neutiquam patrocinantur. Ceterum, quæ de hominibus cunctis hæctenus dicta sunt, illa, quin etiam ad Principes pertineant, dubitari nequit. Etenim licet Principes in excelsiori fastigio collocati sint, quam ceteri homines, homines tamen esse non desinunt, & a Numine æque ac ceteri, & creati sunt, & plane ab ejus bonitate pendent. Fuerunt equidem nonnulli, qui aut stultitia & ambitione, aut calliditate, ad subjectos nimirum

eo felicius in fide continendos, mortalium se excedere conditionem, videri voluerunt. Sed mox comprobatum fuit, miseros istos turpiter se decepisse. Nabuchodonosorem nouimus, qui dum homo esse noluit, homo esse desiit, dumque supra hominum sortem se extulit, infra eandem fuit dejectus, luculentissimo quidem documento, hunc esse supremum insipientiæ gradum, vinculum istud quo Conditori rerum optimo maximo obstricti sumus, abrumpere. Sed omnes gentium omnium annales id satis loquuntur. Id saltem addo, quod Deus ut omnium rerum, ita & hominum fit conditor, neminem ambigere posse. Equidem non me fugit quid Gentiles, maxime Poëtæ, de hominum origine sint commenti: vid. Censorinus de *Die Natali* Cap. II. Diodorus Siculus *lib. I. p. 1. 6. seqq.* Cicero *lib. I. de Legib.* Origenes *lib. I. contra Celsum p. 29.* Pausanias in *Arcad. p. 261.* Lactantius *lib. II. Diuin. Institut. Cap. XII.* & ex recentioribus Justus Lipsius in *Physiol. Stoic. lib. III. Dissert. IV.* Sed si accuratius cuncta expendas, aut veritatem egregie confirmabunt, aut sua se futilitate prodent. Rem ipsam, utpote ab aliis jam pridem luculenter euictam, & contra improbos homines defensam, nunc quidem tantisper pono.

### *Axioma III.*

Nemo imponere sibi ipsi obligationem, adeoque nemo sibi ipsi leges dare potest.

Perinde enim hoc esset, ac si quis se ipso vellet esse superior. Ast notandum haud perfunctorie est, ne utique nobis de iis nunc sermonem esse, qui varias personas sustinent. Namque tum quidem fieri posse, ut aliquis se ipsum obliget, per modum legis, sed ita ut alius  
fit



fit dum obligat, alius dum obligatur, fateor. Ipsorum Principum hæc est conditio, ut in aliis actibus exhibeant & repræsentent ciuitatem, in aliis rursus ut priuati spectentur habeanturue. Princeps ergo sibi ut priuato imponere obligationem & præscribere legem potest. Sic Vasquius *lib. II. Controvers. Illustr. c. II.* recte asserit, in pactis, & contractibus, Reges non teneri legibus ciuilibus regni: quo nomine & laudatur ab Hugone Grotio *lib. II. de I. B. & P. Cap. XIV. §. 5.* Uterque enim Principem hic ut imperantem, & totam ciuitatem repræsentantem, spectat. Contra idem Vasquius reprehenditur a Grotio, quod dicit, emptionem & venditionem sine certo pretio, locationem & conductionem non expressa mercede, emphyteusin sine scriptura, si a Regibus fiant, valitura. Addit enim, hosce actus a Regibus non ut Regibus edi, cum a quouis etiam exerceri possint ac debeant. *In quo actuum genere,* pergit Grotius, *tantum abest ut communes regni leges vim nullam habeant, etiam leges oppidi, ubi Rex habitat, valere credimus: quia specialiratione ibi se habet ut illius catus membrum.* Recte. Namque aliam personam tum Rex induit, adeoque suismet ipse se obligare legibus potest. Hinc vero & intelligitur, quid sentiendum sit de haud ignobili quæstione, an Princeps in pactis atque contractibus cum subditis initis, obligetur *naturaliter* an *ciuiliter*, hoc est, ut ego citra ambages terminos capio, per solas leges naturales, an vero etiam per leges ciuiles. Nimirum si actus eiusmodi a Rege ut Rege proficiscatur, tum quidem ciuilibus legibus non tenetur, non enim potest se ipsum obligare, si a Rege ut priuato, exerceatur, quin lege ciuili teneatur, & sibi ipsi imponere obli-

obligationem possit, dubio caret. Sed vero cum in Principibus etiam ut priuatis spectatis, leges ciuiles vim cogendi exerere nequeant, omni fere usu caret, quicquid hac de re disceptatur.

### *Propositio I.*

Princeps non solutus est legibus naturalibus: nec diuinis positiuis uniuersalibus.

### *Demonstratio.*

Quicumque a Deo ut superiori suo dependet, ille etiam legibus diuinis, quarum obligatio ad illum spectat, tenetur, adeoque iis legibus non est solutus. Atqui Princeps, quisquis etiam sit, a Deo ut superiori suo dependet. Ergo Princeps, quisquis etiam sit, legibus diuinis, quarum obligatio ad illum spectat, (hoc est, naturalibus & positiuis uniuersalibus) tenetur, adeoque iisdem non est solutus. Id quod erat demonstrandum. Major ex *Definit. IV.* Minor ex *Axiomate II.* constat.

### *Consectarium I.*

Ergo in magno versantur errore, qui potestatem Principum, etiam ad actiones legibus diuinis prohibitas, extendunt. Video autem, illos, qui ita sentiunt, in duas dispesci posse classes. Ad primam Thomam Hobbesium refero, qui subinde, *locis citandis*, diuinas leges Principibus ita subjicit ut rationibus etiam hanc suam sententiam palliare, & pro iusta venditare audeat. Alteram vero illi ornant, qui prudentiam & status, ut vocant, rationem obtentui sumunt, Principemque tum demum salutis suæ & Reipublicæ etiam, recte consulere autumant, si juris non tam rigoroſe semper habeat rationem,  
nec

nec illud adeo fraudi ei esse posse. Florentinum illum Doctorem Nicolaum Machiauellum ita sentire, notius est, quam ut a me commemorari debeat. Quin parum abest quin hæc impietas in artem atque disciplinam abierit, quæ Machiauellismi nomine, sese effert. Eandem tibiam inflat Gabriel Naudæus, vir summus quidem, & qui immortale decus promeruisset, si tantam pietatem ad literarum studia attulisset, quantum attulit ingenium & industriam. Notum est scriptum ejus Gallicum, quod in Germanicam linguam Ludouicus du May, transtulit, in quò hoc unice agit, ut horrenda Principum facinora prudentiæ nomine excuset. Hinc quam prudentiores Romanensium vituperarunt, quam ipse Turcarum Imperator teste Heideggero in *Hist. Papatus* §. 196. p. 269. execratus est, lanienam Parisiensem, cum impudentissimis mortalium, qui sub nominibus Andreae Eudæmonis, & Johannis Baptistæ Gallilænt, laudare, excusare, & defendere, nullus dubitauit. p. 147. & 148. Naudæo addo Federicum Bonauenturam, Nobilem Urbinate, ipsi Naudæo in *Bibliograph. Polit. pag. 49.* laudatum, & Hieronymum Cardanum, in *Proxenetæ*, qui in eandem ingressi sunt viam. Sunt & qui justum Lipsium non secus sensisse, autumant. Et sane in *Polit. lib. III. cap. XV.* hac de re ita verba facit, ut haud obscure in Machiaueli, militare castris, videatur. Alibi tamen nunquam sibi hanc sententiam in mentem venisse, sancte testatur. *Testor Deum & homines, inquit, post calumniam natam turpiore & apertiore calumnia neminem petiitum. Ego illa probo aut præeo? Quin disertis clarisque verbis, damno, detestor, repudio.* conf. Bœclerus in *Dissert. de Polit. Lips. p. 410.* Sed ad Hobbesium quod attinet, iuuat paulo accuratius de  
ejus

ejus sententia dispicere. Non semel vero eandem pro-  
dit. In libro de *Cive* Cap. VI. §. 13. p. m. 42. Principi, non  
tantum summum, sed & absolutum imperium, & po-  
testatem quidlibet impune faciendi, diserte tribuit. *Im-  
perium autem*, inquit, *quo majus ab hominibus in hominem  
transferri non potest, vocamus absolutum.* Quicumque enim  
voluntatem suam ita voluntati civitatis subjecit, ut quidlibet  
possit impune facere, leges condere, lites judicare, pœnas sume-  
re, viribus & opibus omnium suo arbitrio uti, atque hæc omnia  
jure, sane imperium ei maximum quod concedi potest, concessit.  
Præterea Principum esse asserit, determinare quid bo-  
num, quidue malum, quid justum, quidue injustum sit.  
*Ejusdem summi Imperii est*, inquit, *Cap. VI. de Cive s. IIX. p.  
m. 42. communes omnibus exhibere regulas, siue mensuras, &  
publice eas declarare, quibus unusquisque sciat, quid suum,  
quid alienum, quid justum, quid injustum, quid honestum,  
quid inhonestum, quid bonum, quid malum appellandum sit.*  
Hoc nimirum sibi vult, a lege civili saltem actiones civi-  
um determinari, & quid furtum, quid homicidium, in-  
juriaue sit, definiri. Ita diserte: *Ceterum quid in cive fur-  
tum, quid homicidium, quid adulterium, quid denique injuria  
appellandum sit, id non naturali, sed civili lege determinan-  
dum est: Ibid. §. 16.* Eadem subinde repetit, atque incul-  
cat. Quin, si quis secus sentit, hunc parum abest quin  
perduellionis reum peragat in *Leviathane* Cap. XXIX. p. m.  
152. & de *Cive* c. XII. §. 2. p. m. 83. Equidem non diffiteor,  
videri alicubi Hobbesium Principem legibus naturali-  
bus subicere; docet etiam de *Cive* c. XIV. §. 3. p. 101. quod  
lege diuina prohibetur, id lege civili permitti non posse.  
Sed cum nimis clara & perspicua sint, quæ ad Principes  
legibus diuinis eximendos, differuit, ipse quidem vel e-  
jus

jus propugnatores viderint , quo pacto hæc inter se componant, ego sane justissimam aliorum reprehensionem hoc nomine merito incurrisse Hobbesium , plane arbitror. Nisi forte dixeris , eum legum naturalium nomine, longe aliud quid intelligere, ac ceteroquin intelligi solet. Sane in *Leviathane Cap. XV. circa fin. p. 79. & Cap. XXVI. p. 130. leges naturales saltem improprie dictas leges, & qualitates quasdam esse, ad pacem & obedientiam disponentes*, docet. Quicquid hujus sit, hanc Hobbesii doctrinam tot monstra alere certum est, ut si Hercules in ea incidisset, decimum tertium sibi obuenisse laborem existimasset. Tota autem Ciuitatis Hobbesianæ structura, lubrico admodum innititur fundamento. Ipse status naturalis hominum, prout ab Hobbesio delineatur, cum recta ratione palam pugnat. In summi imperii generatione describenda fallitur, dum negat inter imperantes & subditos intercedere pactum, eamque adeo unico pacto, quo ciues inter se obligantur, absolui credit. Vapulat ideo aliis haud immerito. Jam quod porro docet, imperanti non tantum summam, sed & absolutam potestatem competere, rursus a nemine concedi potest. Finis ciuitatis tam absolutam potestatem non requirit, quæ ultra leges diuinas se extendat: præterea cum nefas & piaculum sit, homini tantam potestatem deferre, palam est, quod nec Principi deferri potuerit, quæ enim supra vires hominum posita sunt, ea nec fieri posse, nec unquam facta esse, ut credamus, par est. Atque hoc a tironibus moralis doctrinæ, discere debuisset Hobbesius. Quis vero insaniam ejus ferre potest, dum jus naturæ tollit? nonne ipsa natura hominum & ratio unumquemque hoc docet? Falsum itaque est, quod  
D omne

omne discrimen boni & mali, honesti & turpis, a lege ciuili proueniat, hoc enim omnium saniorum iudicio a lege naturæ dependet. Falsum est, quod furtum, adulterium, homicidium, injuria, ideo saltem sint crimina, quia a lege ciuili determinantur: hæc enim ante omnem legem ciuilem illicita esse, neminem fugit. Ergone Princeps non potest adulterium committere, si cum alterius uxore rem habeat, non committit furtum, si rem alterius auferat, aut si alterum interficiat, eum non lædit? Ita quidem Hobbesio videtur. Hoc ut obtineret, tollendæ erant leges naturales, & omnium harum actionum determinatio a lege ciuili suspendenda, qua dum solutus est Princeps, impune quiduis perpetrare potest. Si itaque, dictata rationis, sunt leges proprie dictæ, tota moles Hobbesianæ Philosophiæ corrumpitur. Id vero haud difficulter demonstratur, cum unusquisque rem serio secum expendens intelligat, legum definitionem, ad ista rationis dictata, quæ leges naturæ vocamus, quam aptissime quadrare. Equidem non abnuo, in legibus ciuilibus repeti sæpius leges naturales, novamque adeo iis obligationem addi. Sed exinde neuiquam inferendum est, quod a Principe omnem obligandi vim habeant, cum eadem jam fuerint gauisæ, priusquam ab hoc aut illo Principe repeterentur. Procul itaque faceat furor improbi hominis, donec probatum fuerit, Principi absolutam potestatem tribui posse aut debere, leges naturales non esse leges, a ciuilibus autem omne honestum aut turpe pendere. Nec mitiorem profecto sententiam promerentur, qui prudentiorem Principem suum, quam meliorem, esse cupiunt. Paucis dicam quod sentio. Prudentia, quæ iustitia non  
niti-

nititur, non prudentia est, sed calliditas, & plus nocet quam prodest.

### *Confectarium II.*

Si ergo Principi non licet leges Numinis migrare, sequitur, quod nec jubere ea possit, quæ cum diuinis legibus pugnant, & quod subditi, si forte eousque infania processerit, illi non debeant obtemperare. Quæ cum ita sint, rursus castigandus est Hobbesius, quem impietas eousque abripuit, ut assereret: *Si jubeamur a Principe nostro legitimo dicere, quod non credamus in Christum, obediendum illi esse.* In *Leuiathane Cap. XLII. p. 234.* Equidem rationem addit, qua emollire suam sententiam annititur: *Vocem hominis rem externam esse, neque significare obedientiam proferentis posse, magis quam alius quicumque gestus corporeus.* Sed vero quia voces sunt signa mentis, sine summo scelere in negotio tam graui, verbis aliter uti non possumus aut debemus, quam ut mentem nostram prodent atque significant. Certe abnegatio fidei, quæ ore fit, est tamen vera abnegatio, & si in fontem ejus causamque introspiciamus, non aliunde proficiscitur, quam quod hominis potentiam pluris faciamus, quam DEI Conditoris nostri honorem: id quod tamen sine summo scelere fieri nequit. Nec est, quod cum Hobbesio contendas, subdito ideo in omnibus parendum esse, quia omnem facultatem judicandi de bonitate, & malitia, transtulerit in Principem. Id enim falsum esse, ita ut ab Hobbesio asseritur, citra ambages affirmo. Nimirum quicquid a Principe jubetur aut vetatur, aut eiusmodi est, ut lege etiam diuina vel præceptum vel interdictum fit, aut ad res indifferentes pertinet. Si prius sit, subditus omnino pollet facultate judicandi, & dispiciendi, conue-

niatne lex Principis cū lege diuina, an nō conveniat. Hac enim facultate se priuasse homines, cū in ciuitates coaluerunt, probari nequit, cum ad finem ciuitatis hoc plane non pertineat. Quod si itaque intelligat, Principem ea iubere quæ & Deus iussit, sine mora obediendum est: sin secus se rem habere deprehendat, vitam potius ponet, quam ut vel latum unguem a diuina lege discedat. Ast si de actibus plane indifferentibus disceptatio instituat, tum quidem verum est, quod Hobbesius dicit, subditum omnem facultatem iudicandi exuisse, & sane neutiquam subditi hic erit dispicere, bonane sint, an mala, quæ Princeps iusserit. Non displicet mihi sententia Leonhardi Lessii, qui inter *conditiones obedientiæ cecitatem* refert, non solum *ad imperfectiones & vitia superiorum, sed & ad rationes præcepti scrutandas, ubi satis sit præcipi vel proponi ab eo, qui locum Dei tenet, nec constat per se esse illicitum. de Jusit. & Jure c. XLVI. Dub. IV.*

### *Propositio II.*

Princeps solutus est legibus diuinis positiuis particularibus.

### *Explicatio & Demonstratio.*

Particulares leges Deus nemini tulit, præterquam Iudæis. Hi autem cum hodie nullam Rempublicam habeant, & adeo leges istæ plane cessent, statim intelligitur, de Principibus, qui olim Genti Ebrææ imperarunt, propositionem neutiquam esse capiendam. Sic ergo eam demonstro: cuicumque leges diuinæ positivæ particulares non sunt latæ, illum etiam non obligant. Atqui Principibus non Iudæis, leges diuinæ particulares non sunt latæ. Ergo Principes non Iudæos, leges diuinæ positi-  
uæ



particulares non obligant. J. Q. E. D. Propositio ex eo constat, quia lex non obligat eum cui non est lata, per *Definit. III. & VI.* Assumptum ex *Definit. XI.* patet. Ceterum hinc neutiquam inferendum, quod istæ leges divinæ nullum plane usum hodie habeant, qua de re vid. B. Gerhardus de *LL. Cerem. & forens. n. XL.* Martinus Chemnitius in *Loc. de Lege Dei c. IV.* H. Grotius & *J. B. & P. lib. I. c. I. n. 16. & 17.* Zieglerus de *Jurib. Majestat. lib. I. c. V. n. 24. seqq.*

### *Propositio III.*

Princeps solutus est legibus humanis siue civilibus.

#### *Explicatio & Demonstratio.*

Principem hic illum denotare, qui summum imperium habet, jam ex *Definit. I.* constat. Ceteros enim Principes legibus civilibus teneri, lubens fateor. Propositionem itaque sic demonstro: Quicumque non habet superiorem inter homines, ille nulla lege humana siue civili potest obligari, vel quod perinde est, legibus civilibus est solutus. Atqui Princeps non habet superiorem inter homines. Ergo Princeps nulla lege humana siue civili potest obligari, siue legibus civilibus est solutus. J. Q. E. D. Propositio ex *Definit. VI. & Axiomate III.* assumptum ex *Definit. I. & II.* constat.

#### *Consectarium.*

Falluntur ergo, qui Principem legibus civilibus ulla ratione obligatum esse, asserunt. Certe non semel hac de re disputatum fuit, & subinde doctissimi viri in eiusmodi ambages & anfractus se immiserunt, ex quibus vix sine erroris periculo, emergere potuerunt. Non dubitabit hac de re, qui secum reputauerit, quæ tum a

Theologis, tum Jureconsultis, Gregorio de Valentia  
*T. II. Comment. Theolog. Disp. VII. qu. 5.* Dom. Soto *lib. I. qu.*  
*VI. art. VII.* Francisco a Victoria *Relect. III. n. 21.* Suarezio  
*III. de Leg. 35.* Georgio de Cabelo *parte II. Decis. 78.* An-  
tonio Merenda *lib. II. Controuers. Juris Cap. XIV.* Claudio  
Salmasio in *Defens. Reg. p. 240.* aliisque quamplurimis,  
Zieglero quoque *lib. I. de Jurib. Maiestat. Cap. I. §. 26.* lau-  
datis, traduntur. Nimirum subiicere Principem legi-  
bus ciuilibus religioni sibi ducebant, nec tamen eundem  
iis eximere, metu & superstitione abrepti, audebant: hinc  
in omnes se versabant partes, plerisque ad litem hanc  
dirimendam, vim legum directiuam a coactiua fecer-  
nentibus, & per illam quidem, non autem per hanc Prin-  
cipem obligari, contendentibus. Sed parum profecto ita  
ad rei summam proficiunt, Præterquam enim quod ad-  
huc dubitari possit, an lex quæ vi cogendi destituitur,  
lex dici debeat, aut possit, in Principes omnes sunt iniurii  
qui eos quoad vim directiuam, legibus ciuilibus obno-  
xios esse, docent. Nulla enim lex cogitari potest quæ  
non vim obligandi habeat a superiori. Si ergo Principes  
legibus ciuilibus obligantur, sequitur quod in ciuitate  
superior Principe sit, qui illi imponere obligationem  
possit. Si dicas, aut obligantur tantum quoad vim di-  
rectiuam, nihil dicis. Sufficit enim quod obligatio  
adsit, quæ non potest non a superiori proficisci.  
Aut Princeps, forte inquis se ipsum obligat. Sed memi-  
nisse te decebat, neminem posse sibi ipsi imponere ob-  
ligationem. Quæ cum ita sint, Principem legibus ciui-  
libus plane solutum esse, necesse est. Sed addendum,  
quatenus leges istæ mere ciuiles sunt. Si enim naturales  
aut diuinæ positiuæ in ciuilibus repetantur, hisce qui-  
dem,

dem, non quatenus ciuiles, sed quatenus diuinæ sunt, Principem obligari extra litem est. Id quod profecto parū pensi habent multi iique doctissimi viri, qui in hoc campo ingenii periclitati sunt vires. Ceterum, dum Principem lege ciuili teneri abnuo, hoc ipso non inficias eo, eum prudenter facere, si ad leges ciuiles suos componat mores, ut subditi eo facilius idem ut faciant, adducantur. Ita enim est, quemadmodum recte Plinius docet: *vita Principis censura est, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Quippe infidelis recti Magister est metus. Melius homines exemplis docentur, quæ imprimis hoc in se boni habent, quod adprobant, quæ præcipiunt, fieri posse.* In Panegyri. Cap. LVI. p. m. 55. Unde & Liuius prudenter monet: *si quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos si ipse juris statueris, facilius omnes obedientes habeas.* lib. XXVI. c. 36. Id quod probe intellexit Traianus, quem hoc nomine iterum Plinius laudat: *ipse te legibus subiecisti: legibus, Cæsar, quas nemo Principi scripsit: sed tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis, sic fit, ut nos tibi plus velimus.* Cap. LXXXV. p. 84. Et hoc quoque est, quod Antonius Merenda l. c. asserit, *Principes obseruare leges, non quia leges sint, sed quia ars ciuilis & prudentia dicent, secundum leges huiusmodi agi debere.* add. Grasvinkelius de Jur. Majestat. c. VI. p. 46.

### Propositio IV.

Princeps solutus est legibus fundamentalibus, quatenus pro legibus habentur.

### Explicatio & Demonstratio.

Obligatur quidem Princeps a legibus fundamentalibus, ast non per modum legis, sed per modum pacti.

Nam-

Namque quod leges, vt vocantur fundamentales, non sint leges, supra euietum est. Sic ergo infero: Leges improprie sic dictæ, (quæ videlicet a superiore latæ non sunt) neminem obligant per modum legis. Atqui leges fundamentales sunt leges improprie dictæ. Ergo Leges fundamentales neminem (adeoque nec Principem) obligant per modum legis. J. Q. E. D. Maior probatur, quia ad legem requiritur vt habeat vim obligandi a superiori, juxta *Definit. III. Minor & Consectar. I. Definit. XII.* patet.

### *Propositio V.*

Princeps solutus est legibus, vt vocari solent, Ecclesiasticis.

### *Demonstratio.*

Leges enim Ecclesiasticæ nulla pollent obligandi vi, nisi eadem ab ipso Principe illis fuerit impertita. Proinde ita colligo: Quicumque est solutus legibus ciuilibus, ille etiam solutus est legibus Ecclesiasticis. Atqui Princeps solutus est legibus ciuilibus. Ergo Princeps etiam solutus est legibus Ecclesiasticis. I. Q. E. D. Maior probatur, quia leges, quæ vocantur Ecclesiasticæ, aut plane non sunt leges, aut vim obligandi a Principe habent, adeoque sunt leges ciuiles, ab obiecto saltem, speciali ratione denominatæ: per *Consect. Definit. XII. Minor* constat ex *Proposit. I.*

### *Consectarium.*

Ergo nec jure Canonico Princeps obligatur. Sane si omnes leges Juris Canonici consideremus, eas aut Patrum effata, aut sancita Conciliorum, traditionesque,

que, aut denique decreta & rescripta Romanorum Pontificum esse, deprehendimus. Ad Patrum effata & dicta quod attinet, ea licet ad doctrinam cælestem probandam, si cum diuinis literis conueniant, aut illustrandam, vi quadam polleant, pro legibus tamen haberi nequeunt. Neque enim Patres unquam in animum inducere, jura dare, aut leges aliis præscribere. Præterea facultate legislatoria fuere destituti. Nec etiam pro diuinis, illorum asserta haberi debent. Namque non tantum errare potuisse, sed sæpius etiam errasse Patres, constat: id quod Sixtus Senensis *lib. V. § VI. Bibliotheca Sanctæ* ex instituto demonstrauit, ut & Johannes Dalæus, in eruditissimo de *vero usu Patrum* Opere. Hinc ipsi suis assertionibus tantum, standum esse, plane abnuunt. Præclare Augustinus: *Solis libris Canonicis didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse, firmissime credam. Alios autem ita lego, ut quanta libet sanctitate doctrinaque prepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt. Epist. XIX. ad Hieronymum.* Quæ verba & repetuntur in Jure Canon: *D. IX. c. Ego solis.* Unde & Patrum dicta perperam *Canones* vocari, recte contendit Zieglerus in *Notis Manuscriptis ad Francisci de Roy Instit. Juris Canon. lib. I. Tit. IV.* Idem vero & de Conciliorum decretis, est sentiendum. Etenim si dicendum quod res est, concilia non alium in finem congregantur, quam vt lites in Ecclesia ortæ, componantur. Hæ autem non aliter componi possunt, quam ut ad diuinarum literarum normam sententiæ, de quibus disceptatur, exigantur, & retineatur quæ conuenit, quæ non conuenit, rejiciatur. Illud autem cum facilius & minori erroris periculo, a pluribus quam singulis fieri possit, merito

E

Con-

Concilia congregantur, idque eo magis, quia hunc modum lites finiendi, posteris suo exemplo præiuerunt Apostoli. vid. Guilielmus Beueregius in *Præfat. ad Synodicum Græcum*. Ast hinc nondum euincitur Concilia gaudere facultate leges ferendi. Accedit enim, quod ipsa Concilia a Principe, quoad externam directionem, pendeant. Sed rem omnem jam pridem expediuit Christophorus Justellus, in *præfat. ad Cod. Can. Ecclesie Africana*, ubi erudite probat, canones Conciliorum non habere vim legis, donec a Principe sint confirmati. Denique de Traditionibus quid sentiendum sit, postquam illarum auctoritas jam sæpius profligata est, neminem fugere potest: cum primis vero erudite contra eas disputat Eduardus Stillingfleet, in libro cui titulus: *The Council of Trent examined and disprov'd by Catholice Tradition*. Saltem pro legibus eas haberi non posse vel ex eo evincitur, cum in ipsum legislatorem, siue Deus is sit, siue homo, valde injurius sit, quisquis existimauerit, eum leges dedisse, nec tamen curasse ut certa ratione, qua nemo falli posset, subjectis innotuerint. Sed hac de re alii ulterius dispiciant. Illud saltem addo, quosdam Juris Canonici propugnatores in eo nobiscum consentire, Patrum effata & sancita Conciliorum, ex quibus Gratianus Decreta sua confarcinauit, non quidem, si in se spectentur, vim legum habere, ast accepisse tamen eandem, dum a Gregorio XIII. Pontifice hæc decreta in Corpus Canonicum fuere relata. Sed vero cum nondum evictum comprobatumque sit, totum corpus Canonicum vim legis habere, aut Romanum Pontificem facultate leges ferendi gaudere, magnopere istos falli, & lubrico admodum niti fundamento, palam

iam est. Sed dispiciendum hac de re paucis est, ut simul quid de Romanorum Pontificum rescriptis, sentiendum sit, inde elucescat. Romanum Pontificem vel ut Principem Italiae, vel ut Episcopum orbis Christiani, ut vult haberi, spectari posse, constat. Ita ergo sentio, quin, ut Princeps Italiae, leges ferre possit suis subditis, non est dubitandum. Pono enim tantisper, eum in suis ditionibus summo gaudere imperio, nec enim, quo jure hasce provincias acquisiuerit, inquirere vacat. Ast quando pro capite orbis Christiani se venditat, ejusmodi quid facit, quod cum diuinis literis, cum Principum auctoritate, cum recta ratione, palam pugnat. Quare si ferre leges cupit, quibus parere omnes Christiani debent, evincat prius necesse est, se esse caput Christiani Orbis, & sibi in omnes imperium competere. Ast jam clamare Romanenses audio, quidni competeret? Competit enim, inquiunt, Romano Pontifici tum in civilibus, tum in sacris, summa potestas. Ita Augustinus de Ancona, Franciscus Bozius, Castaldus, & alii docent. Sed vero ad civilem potestatem quod attinet, hanc prudentiores Romanensium, jampridem Romano Pontifici abjudicarunt. Intellexerunt quippe, non posse eam Praesuli huic vendicari, nisi diuinæ leges, & rationis præceptiones, palam contemnantur. Neque hodie demum aut nudius tertius hac de re dubitari cæptum est, quin cum rerum summam in Imperio Ludouicus Bauarus teneret, non perfunctorie disceptatum est, euictumque a præstantissimis viris, non posse Pontifices sine crimine & summo piaculo, hanc potestatem ad se rapere. Non tacebit ulla ætas Guilielmi Occami, Marsilii Patauini, aliorumque  
cla-

clarissimorum virorum opera, ea ætate Præfulum Romanorum tyrannidi opposita, quæ ab interitu vindicavit Melchior Goldastus, in *Monarchia S. R.* 7. ea edendo. Sed sacram istam & Ecclesiasticam potestatem, non æque facile Romano Pontifici eripi patiuntur: licet non firmiora sint, quibus innituntur argumenta. Nimirum ita se res habet, potestas circa sacra alia interna, alia externa est. Hanc soli Romano Pontifici nemo sanus vendicabit, cum omnes diuini verbi ministri eadem gaudeant: & præterea nullum secum conjunctum habet imperium, unde & qui ea gaudet, nondum habet facultatem ferendi leges. Ast externa, quia imperium aliquod secum trahit, & insuper cum ipsa Reipublicæ administratione est connexa, non potest alii, quam soli Principi competere. Qui autem secus sentiunt, si quid obtinere cupiunt, necesse est, ut demonstrent, hanc potestatem non Principibus, sed sacri ordinis viris, iisque non omnibus, sed soli Episcopo Romano, aut per naturæ, aut per diuinas positivas leges competere. Id quod tum demum facient, cum, ut Varronis voce dicam, locusta bouem pariet. Certe primarium, quo innituntur fundamentum, lubricum atque infirmum esse, ipse agnouit Stephanus Baluzius, & inuictis argumentis comprobauit, ad *Servatum Lupum* p. 425. seqq. Ita ergo cum auctoritas juris canonici corruat, eadem non obligari Principes, sua sponte elucescit.

S. D. G.







Halle, Diss.) 1695 A/STO

ULB Halle 3  
001 508 44X



sb

VL 97







*(mit Weichnung)*

*Q. D. B. V.*

**PRINCIPEM <sup>B.</sup>  
LEGIBUS HUMANIS  
SED NON DIVINIS  
SOLUTUM**

*1695, 15  
3*

SISTET  
DISSERTATIO POLITICA

*Quam*

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*  
**DN. FRIDERICO WILHELMO**  
ELECT. BRAND. HEREDE. &c. &c. &c.

PRÆSIDE

**JOHANNE FRANCISCO BUDDEO**  
S.S. THEOL. LIC. ET PHILOS. MOR. AC CIVILIS P.P.  
h. t. FACULTATIS PHILOSOPH. DECANO,

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS  
RITE CONSEQUENDIS  
ERUDITORUM EXAMINI

*AD D. DECEMB. A. M. DC. XCV.*

SUBMITTIT

**GEORGIUS ERNESTUS BRAND,**  
Peuffensis Magdeburgicus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Literis CHRISTIANI HENCKELII.

*110. H.*

*18.  
210.*

